

Copy of the original  
to the  
of the  
of the

S. Quum satis clare & ingenie consilium meum in  
epistola exposuerim, quam typis excusam mitto: pluribus  
vos morari nihil attinet, optime & vere colendi fratres:  
nisi forte ut hoc ipsum excusam, quae vobis priuatim  
scribere debui, ante fuisse in publicum edita, quam vos  
fecerim confisos. Et sane istud facere initio decreueram,  
sicut magis consentaneum erat. Verum iusta ratione  
ad mutandum consilium mihi videor adductus. Nam  
ut longa de his rebus concertatio quosdam timidos red-  
didit: verebor ne deliberando multum temporis nobis  
efflueret. Primum hoc singulis venire in mentem pote-  
rat, cur nos hic hortatur, quam nos potius ipsum.  
Deinde ubi proposita esset defensionis ratio, varie disputare  
promptum erat, quanto vel aptior, vel plenior, vel magis  
polita, vel arguta fingi posset. Interea videbam, quam  
difficile esset, post extractum tempus, falsam infantiam,  
qua Ecclesias nostras gravare non desinunt homines  
importuni, abstergere. Quod si de cavenda temeritatis  
vel nimiae confidentiae nota fuisset valde sollicitus, ad  
causam suscipiendam nullus aditus patebat. Itaque me  
ad exiguum tempus iniudicia exponere malui, quam  
committere, ut diutius, nobis parentibus, dei veritas, &  
quae in ipsa fundata esset ecclesiarum nostrarum fides  
non solum atrocibus probris laceraretur, sed communi om-  
nium ludibrio subiecta foret. Quamquam vestra aequitate  
confisus nullam hic sinistram opinionem metuo: quando  
neminem vestrum esse arbitror, qui pro sua prudentia  
non videat, quam vtilis & opportunus sit hic meus labor.  
Optandum quidem erat ab alio suscipi, cui ex eruditis &  
dexteritas maior suppeteret. quia tamen praestabit, mediocri  
opera levatam esse bonam causam, quam oppressam iacere,  
vobis non ingratum hoc meum officium fore spero. Resta-  
ut



ut non solum recte nos sentire mundus intelligat, sed  
infirmi consensu nostro animati liberius nobis accedant,  
pernicaces autem fracti quiescant. Quamquam autem doctri-  
nam, quae vobis omnibus citra controuersiam probata  
esset, fideliter complecti studui: non tamen postulo, ut  
mibi quisquam subscribat. Vestrae hoc prudentiae relinquo.  
Caeterum omnino publicum nostri consensus testimonium  
tot, quae subinde renouantur, calumnijs opponi necesse est.  
Quod verum esse cognoscitis, id nullius admonitu vobis  
cura esse par est. Quare praestat, ut ad id mature  
et strenue curandum sibi quisque hortator sit, et simul  
ad opus se accingat. Vahere eximij viri, et observandi  
fratres. Collegae mei vobis plurimam salutem dicunt.  
Dominus ~~vobis~~ vos gubernet spiritu suo, ac vir-  
tute tueatur. Genens. Idibus Iunij 1555.

Johannes Calvinus Vostis

1555





